



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 13. Mors Clementis VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.
A. C. 1532.

Præcipuæ conditiones erant, ut Rex omnibus Cracoviæ pagis libertatem redderet, ac solide construenda curaret quinque templa, inter alia Vislicianum, quod singulari pietate amaret. Clemens concessit etiam Casimiro in quadriennium decimam reddituum totius Cleri Polonici, propulsandis Lithuanorum incurfibus adhibendam. Denique permisit, ut Ecclesia Vratislaviana in Silesia Metropolitæ Gnesnansis maneret obnoxia: etsi Rex Bohemiæ Carolus illam novo Archiepiscopo Pragensi subjectam vellet. Rex Casimirus impositam sibi pœnam fideliter solvit.

§. XIII.

Mors Clementis VI.

*Vitæ to. I.
Papæb. con-
nat. p. 86.
M. Vill. l. 3.
c. 43.*

Papa Clemens VI hoc anno 1352, die 6 Decembris naturæ satisfecit; postquam supremam sedem decem annis, ac septem mensibus tenuerat. Funeris exequiæ postera luce solemniter celebratæ sunt in cathedrali templo Avenionensi: unde corpus ejus sequente æstate translatum est Casam Dei, ubi fuerat Monachus; ac sepulchrum illius etiamnum cernitur. Fuit liberalissimus in promittendis per clausulam *Anteferris* beneficiis, quæ prima vacaverint. Volebat familiam regio ornatam luxu, mensam magnifi-

gnifice instructam, magnum comitatum Equitum, ac Nobilium scutariorum, e-
 quorumque numerum, quos sæpe ob-
 stantationis gratia incendebat. Perquam
 volupe illi erat cognatis suis splendorem
 addere, magnas eis in Francia possessio-
 nes emere, sacram purpuram conferre:
 sed aliqui admodum juvenes pessimi ex-
 emplum vitam ducebant. Quosdam roga-
 tu Regis Galliarum creavit Cardinales, sed
 ex iis nonnullos ætate pariter immatu-
 ros. Ita Romanæ curiæ Patres coo-
 ptans nec doctrinæ, nec virtutis ratio-
 nem habebat. Ipse egregia valebat eru-
 ditione: sed mores exhibebat solutiores,
 & parum ecclesiasticos. Cum esset Ar-
 chiepiscopus, inter mulieres non serva-
 bat modum, illustri Juventute liberior:
 & quando fuit Papa, non temperare sibi
 hac in re, nec tegere animum sciebat
 suum. Fœminæ primariæ adibant ejus
 conclavia instar Præfulum; inter alias
 quædam Turenæ Comes, cujus in gra-
 tiam multis beneficium se præbebat.
 Egrotanti matronæ nobiles famulaban-
 tur; sicut agnatæ hominum profanorum
 curam gerunt. Hæc Clementis VI de-
 scriptio est ad verbum deprompta ex
 Matthæo Villano.

Sæcul XIV.

A.C. 1352.